


05

A

2291





Q. D. B. V.

Ex

Morali Philosophiâ

DE

PIETATE

atq; iis omnibus, quæ eidem annexa sunt,

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Admodum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi.

DN. MICHAELIS VVENDELER

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Professoris Publici
Extraordinarii, & Philosophiæ Practicæ Or-
dinarii celeberrimi.

DN. Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui

summè venerandi,

publicè disputabit

GEORGIUS VVELLERUS

Lindaviensis Acronianus,

Ad diem XXIX. Aprilis, horis matutinis

in Auditorio Majori.

VVITTEBERGÆ,

Typis Johannis Haken, Anno M. DC. LXIII.

L. A. Baldu.





V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, ac Prudentissimo,

DN. MATTHÆO RÜCHEL/

*in Inclytâ Republ. Ulmens. Secretioris Consilii
Assessori gravissimo;*

NEC NON

VIRIS

Spectatissimis & Prestantissimis,

DN. JOACHIMO EGGOLTO,

Mercatori Lipsiensi laudatissimo,

DN. DANIELI RÜCHEL/

DN. JOHANNI ULRICO

Weyenmaier /

Ulmae Civibus integerrimis,

*Dominis Patronis, Promotoribus atq; Cognatis suis omni
honoris cultu prosequendis,*



Ethicum hoc Exercitium gratitudinis & observantiae ergo consecrat atque offert

GEORGIUS WELLERUS;

Lindaviensis.

05 A 297



In nomine S. S. Trinitatis.

Theses de

Pietate atqve iis omnibus, quæ eidem annexa sunt.

1. **D**E pietate nihil habet Aristoteles. *Piccolomineus gradu 4. Philos. Moralis* excusat eundem, partim quòd verum Deum ignoraverit, atq; tantùm morales virtutes tractaverit, partim quòd ad virtutem heroicam, omnium virtutum eminentiam, referri possit. Verùm negari nec potest, nec debet, quin fundamentum omnium rerumpub. adeoque societatum humani generis sit pietas & religio.

2. Et hoc ipsum tùm ex sacris, tùm ex profanis scriptis est manifestum. *Deuteron. 17. v. 18.* Jehova ita Israelitarum Regi præcipit: *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Levitica tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vite sue; ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor ejus in superbiam super fratres suos, neq; declinet à præcepto Dei, in partem dextram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filius ejus super Israel.*

3. *Livius* meminit, Romulum, salutatum Regem, primùm instituisse sacra Albano ritu & alia Herculi, deinde politicos magistratus. *Plinius* refert, Numam Pompilium, secundum Romanorum Regem, ferum populum religionis institutione & utilibus legibus domuisse, suumque regnũ ita formasse, ut nemo eidem moverit bellum. *Cicero* quoq; *pro Planco* & *lib. 1. de natura Deorum*, & *Plato* in *Erythyphrone* & *Gorgia* docent, pietate sublatã, societatem generis humani tolli. Nos autem Christi-

ani nobis in mentem revocemus, quod inculcat Paulus ad *Coloss. 3. v. 17.* & *1. ad Corinthios 10. v. 31.* omnes nostras actiones ad divini nominis gloriam referendas esse.

4. Initiò vox est observanda. Nam hæc accipitur primò latè pro eâ virtute, per quam patriæ sanguineq; junctis benevolentia, officium & diligens tribuitur cultus. Hoc sensu extat apud *Ciceronem lib. 2. ad Herennium.* Deinde eadem vox sumitur strictè pro exhibitione officiorum, *DEO debitorum*, seu pro virtute, legitimo Deum honore ac cultu venerante. Tandem usurpatur pro pietatis causis. Sunt autem piæ causæ, quibus juvatur prædicatio verbi in Ecclesiâ, scholæ bonarum literarum & sustentatio pauperum. Nos secundam acceptionem hic urgemus.

5. Pietatis fundamentum est *verbum Dei auditum*, vel *lectum.* Notitia Dei, ex lumine naturali hausta, est multis modis imperfecta. Ex contemplatione quidem rerum creaturarum primam causam venemur admiremurq;ve, ita tamen, ut salutare veræ pietatis fundamentum quæramus unicè in revelato verbo. Nam ex hoc solo veram nobis acquirimus notitiam.

6. Dividitur pietas in *internam tantum*, & *internam simul ac externam.* Internam tantum in animo consistit, estq; partim *cognitio Dei* & *timor*, partim *fides*, *dilectio* & *spes.*

7. Cognitio Dei est, *quâ Deum cognoscimus, sicut se patefecit.* Ergò ut patefactio hæc est tum in naturâ, tum in verbo: ita cognitio rectè dividitur in *Naturalem* & *Revelatam.*

8. Naturalis est, *quæ naturaliter omnium hominum mentibus est insita*, atq; *ex Dei operibus colligitur.*

9. Circa cognitionem Dei quæritur, *an detur aliqua Dei naturalis notitia?* Resp. Affirmandum esse, & sacra scriptura & sapientes ex naturâ probant. Nam *Rom. 1. v. 19.* expressè dicitur, quòd Ethnici per visibilia hæc cognoverint & divinitatem & potentiam Dei, & propter hoc sint *ἀναπολόγητοι*, inexcusabiles. Idè *cap. 2. v. 15.* testatur, *legem scriptam esse in cordibus Ethnicorum, & sine lege, nempe revelatâ, facere ea, quæ sunt legis Dei.*

10. In-

10. Inter sapientes primo loco nominatur Aristoteles. Hic enim totum mundum in contemplationem vocans, omniaq; & corpora cœlestia, & quæcunqve illis subiecta sunt, deprehendens, firmissimum inde argumentum ducit, quod appetitui, numen & primam causam cognoscere naturaliter desideranti, satisfacit. Vide *Exerc. Metaphys. D. Mart. lib. 2. Exerc. 4. theor. 1.*

11. Non obstat Cicero lib. 5. de naturâ Deorum, referens, Protagoram, librum suum his verbis inchoantem: *De Diis neq; ut sint, neq; ut non sint, habeo dicere.* Parum quoq; refert, Diagoram Melium & Θεον, Theodorum Cyrenaicum aliosqve Deum simpliciter negasse. Nec deniq; contrarium asserit David *Psalmo 14. v. 1.* quando ait, *insipientem in corde suo dicere, non est Deus.* Nam hæc intelligenda sunt non de essentiâ divinæ negatione, sed partim de affectu impiorum erga Deum, quod perjuriis, incantationibus, aliisque sceleribus ita fuerint dediti, perinde ac si nullus in mundo esset Deus, quem revereri deberent; partim de voto, quod tales à propriâ conscientia convicti & iram Dei metuentes, nullum Deum esse optarent, quod major sibi esset peccandi licentia.

12. Cognitio Dei revelata est *vera veri Dei notitia*, hoc est, *lumen in mente à Deo accensum, quo essentiam & voluntatem veri Dei, in lege & Evangelio patefactam, per Christum agnoscimus.* De hac notitiâ consulamus Theologos necesse est. Consistit autem hæc in notitiâ unius essentiâ divinæ, in quâ verè ac realiter distinctæ sunt tres personæ, atqve in notitiâ voluntatis Dei, patefactæ in doctrinâ legis & Evangelii, quam ipse Christus revelavit.

13. Timor Dei est *cultus, sive pietas, quâ majestatem Dei veri reveremur, & peccata fugimus.* Theologi distinguunt eundem in *Filialem & Servilem.* Illius est, timere Deum propter seipsum, non propter pœnas; hujus verò, timere Deum propter pœnas, non propter seipsum. Cujus distinctionis fundamentum extat *Rom. 8. v. 15.*

14. Causæ timoris sunt *Lex Dei & Spiritus Sanctus.* Illa monstrat peccatum, & magnam adversus illud Dei iram;

hic per ministerium legis peccatum arguit, eoq; agnitionem & confessionem ejus cum poenitentia & timore iræ Dei & æternæ damnationis conjunctam accendit. Si accedit fides, filialis efficitur timor.

13. Fides est *et assensus, quo credimus doctrinæ de Deo traditæ, et fiducia, quâ in misericordiâ Dei, propter Christum promissâ, unicè et immediatè acquiescimus.* Fidem per assensum & fiduciam describimus, notitiam modò explicatam subintelligentes, cum nullus assensus sine notitiâ dari possit, ut ita facile concedamus, quòd tres sint fidei partes, scilicet notitia, assensus & fiducia. Objecti partes sunt Dei essentia & voluntas; patefactæ in lege & Evangelio de Christo. Hæc est mater omnium reliquarum virtutum, & anima totius Christianæ vitæ, Præterea origo & caput nostræ salutis existit. Nam sine hac nemo Deo placere, neque justitiâ & vita æterna à nobis accipi aut retineri potest.

16. Dilectio Dei est *universalis obedientia erga legem Dei.* Appellamus universalem obedientiam. Nam omnia bona opera complectitur. Ita enim docet Paulus 1. ad *Timotheum* 1. v. 14. Adde *Deut. 6. v. 5. et Matt. 22. 37* Vide quoque *cap. 5. 30. prioris Epist. Johannis*, dicentis: *Hæc est dilectio Dei, ut mandata ejus servemus.*

17. Spes tandem est *certa expectatio rerum nobis divinitus promissarum.* Describitur per certam rerum à Deo promissarum expectationem. Nam hoc discrimine à fide differt. Fides enim intuetur in promissiones, per quas Dei beneficia nobis offeruntur: & quidem præsens beneficium præsentemque reconciliationem accipit: spes autem intuetur res promissas, scilicet futuram liberationem, æternam vitam ac gloriam. Tantum de pietate internâ,

18. Sequitur pietas interna & externa simul, quæ *in affectu atq; externis gestibus actionibusq; consistit: estq; invocatio DEI, auditus verbi et legitimus Sacramentorum usus.* Dicimus, quòd hæc in invocatione, generaliter ita sumtâ, consistat. Nam hominum, in Deo justificarum, præcipuum studium est invocatio. Imò

tio. Imò hæc ipsa est præcipuus summusqve DEI cultus; & quæ-
dem solius Ecclesiæ proprius.

19. Invocationem ita acceptam subdividimus in *simplicem*,
& *cum quâdam obligatione conjunctam*.

20. Invocatio simplex in genere est divinus cultus, quo à
Deo, propter Christum, ea, quæ necessaria nobis sunt, petimus, &
pro acceptis eidem, cum divini nominis celebratione, agimus
gratias.

21. Circa invocationem *species & circumstantiæ* sunt ob-
servandæ. Invocationis, seu Adorationis, species sunt *Precatio*
& *Gratiarum actio*. Ultramque præcipit Spiritus Sanctus *Psal. 50. v.*
15. atque ad *Colos. 4. v. 2.*

22. *Precatio est divinus cultus, ex verâ fiduciâ in Christum*
mediatorem institutus, quo ab unico & solo vero DEO omnis generis
bona petimus. Aliàs appellatur colloquium cum Deo institutum.
Aliàs precatio, strictè sumta, κατ' ἐξοχήν dicitur *Invocatio*, quâ
in omnibus vitæ periculis aliud firmiter præsidium non est,
quàm nomen Domini. Hæc ut ab omnibus hominibus, ita cum-
primis à pio Politico consideretur, atque ad usum in gubernati-
one consiliorum & actionum vitæ à Deo petenda, & omnibus pi-
etatis exercitiis, transferatur.

23. *Precationis partes Theologi recensent potissimum,*
sex, nimirum compellationem veri DEI patris, Domini nostri JESU
CHRISTI, cognitionem mandatorum DEI, pœnitentiam & confes-
sionem peccatorum, considerationem promissionis de peccatorum re-
missione & de precum propter Christum exauditione, fidem & deniq;
commemorationem rerum petendarum, quæ spiritualium, quæ cor-
poralium.

24. *Precationi annectenda est gratiarum actio, quæ in*
specie erga DEUM est cultus & adoratio, quâ juxta veritatis nor-
nam homo pius agnoscit & profitetur, quòd à DEO acceperit bene-
ficia, quodq; DEUS sit verè omnipotens & omnipresens & presens o-
pitulator, simulq; juxta præscriptum justitiæ nos ad officia, DEO
grata, obligat.

25. *Indè sequitur, precationem constare tum internâ, tum*
externâ

externâ parte. Illius est, præsentiam, bonitatem & auxilium DEI gratâ mente agnoscere & conservare; hujus verò est, externâ voce & obedientiâ & hymnis ac laudibus assiduis sapientiam, bonitatem, justitiam, misericordiam & miranda Dei opera & liberationes ac beneficia celebrare. Consule *Psal.* 145. 146. 147. &c.

26. Invocationis circumstantiæ, seu accidentia, sunt *Externe* atq; *Interna*. *Externæ* sunt *Locus* & *Tempus*. Orandū est in omni loco. In V. T. Deus ad tabernaculum voluit invocari, ut ex c. 25. Exodi videre est. Sed in N. T. hæc sunt abolita, juxta *Job.* 4. v. 21. Idem de tempore statui debet. Nam ἀδιαλείπτως, idest, indefinenter, juxta *1. ad Thes.* 5. v. 17. orandum est.

27. Seqvuntur circumstantiæ internæ. Dicuntur autem *Internæ*, quòd invocatorem non extrinsecus circumstant, ut tempus & locus; sed quod vel ab ipso, vel in ipso sint.

28. Internas circumstantias dividimus in *Positivas* & *Privativas*. *Positivas* facimus *Gestum* & *Sonum oris*. Neuter autem simpliciter est necessarius, cum etiam sanctissimorum preces his ritibus careant.

29. Sacræ literæ gestum nullâ certâ lege definiunt. Nam videmus, quòd quidam in faciem, quidam erecti sint, quidam jaceant, quidam oculos attollant, quidam eosdem demittant, & denique, quòd quidam manus in cœlum elevent. Hinc *Paulus 1. Timotheum* 2. v. 18. monet, manus elevandas esse ad Deum. *Luce* 18. v. 14. legimus, publicanum pectus percussisse. Idem *Paulus 1. ad Corinth.* 11. v. 4. & seq. jubet, ut vir detecto capite, mulier autem **ve-**lato oret.

30. Quamvis autem, ut antea diximus, sonus tantum secundum quid sit necessarius; tamen vocis usus est longè maximus in publicis precibus & gratiarum actionibus, ad mutuam ædificationem, excitandam. Ad *Colos.* 3. v. 16. Est autem hic sonus interdum inarticulatus, cujusmodi sunt suspiria, gemitus & lacrymæ; interdum articulatus, & propriè dicitur sermo.

31. Sermo considerari potest vel respectu materiæ, quæ vox est, vel respectu formalis qualitatis, quæ est intelligibilitas.

Ratio-

Ratione vocis dividimus sermonem in *simplicem* & *cantu temperatum*. Simplicis sermonis vox vel est *clara & alta*, vel *remissa*. Illa appellatur *clamor*, quo usi sunt veteres; hâc verò precatur publicanus apud *Lucam 18. v. 13.*

32. Ad sonum oris pertinet *Cantus*, ad quem reducuntur *Instrumenta Musica*. Cantus consideratio est vel *generalis*, vel *specialis*. In genere de cantu notabis *ortum, modum, finem, & an in Ecclesiâ sit retinendus*.

33. Cantus originem sumit ab Hebræis. Nam Levitæ in Tabernaculo, vel Templo Salomonis, certis aderant horis, & coram Domino, præsentem populo, sacros cantabant hymnos, Deoque gratias agendo maxima ejusdem beneficia, in gentem Judaicam collata, dulcissimè celebrabant, preces interponebant, & varias sententias, quæ ad hominum mores vitamque informandam faciebant, passim intermiscebant. Idem patresfamilias observabant domi. Ab eadem consuetudine non discessit Christus. Nam peractâ Paschalicœnâ, nocte, quâ tradebatur, unâ cum discipulis, in montem olivarum, dicto hymno, exiit *Matth. 26. v. 30.*

34. Modus quoque diligenter tenendus est. Nam si ullâ in re excessus erit vitandus, id certè hoc in loco observandum erit, ut ubique mediocritatem observemus. Ergò caveamus, ne in Musicâ pietatis & divini cultus vis ponatur, aut meritum ac peccatorum remissio ibi collocetur, aut cantibus ita indulgeatur, ut verbi prædicationi præferatur, aut quævis, sine ullo discrimine, cantentur, sed ea tantùm, quæ in sacris habentur literis, vel quæ justis inde conclusionibus eliciuntur, & verbo Dei conformia sunt, aut denique vox, ut hodie fit, nimium flectatur; sed potiùs ad modum recitantis, quam canentis, accedat.

35. Finis cantus Ecclesiastici fit, ut internos affectus componat, sonorum suavitate sensus moveat, & tandem per eundem prædicetur Deus.

36. Quod spectat quæstionem, dicendum omninò est, cantum in Ecclesiâ retinendum esse. Nam ipse Paulus *1. Corinth. 12. Eph. 5. & Coloss. 3.* eundem, è spiritu profectum,

B

non

rejecit, quamvis eâ de re in N. Testamento nullum extet præceptum. Apostolorum quoque tempore in sacris conventibus fuisse cantatum, ex Plinii testimonio in quâdam epistolâ, ad Trajanum Imperatorem scriptâ, facile probari potest. Is enim scribit, *Christianos consuevisse hymnos antelucanos Christo suo canere.* Nam Johannem Evangelistam, Trajani tempore, adhuc superstitem fuisse, ex Chronologiâ manifestum est. Hanc ob causam in Oriente sacra cantilena semper in usu fuerunt, licet Occidentis Ecclesiæ canendi consuetudinem receperint tardiùs. Id enim tempore demum Ambrosii fuisse factum, ex *Augustino lib. 9 Confessionum* liquet.

37. Dividimus cantum in *Choralem & Figuralem.* Illum ad Dei gloriam amplificandam non parum facere certissimum est, quando in vulgaribus cantilenis canit tota Ecclesia ad ædificationem internosque animi motus excitandos; hunc quoque idem præstare, nemo facile negabit.

38. Est autem in cantilenâ *Symphonicâ* inter usum & abusum rectè distingvendum; & delectus præterea inter cantilenas instituendus, ut quandam præ se ferant gravitatem, & simplicitate temporumque æqualitate quâdam sint temperatæ, ut non tantum audiatur sonus, sed verba quoque rectè intelligantur.

39. Non pauci omni tempore fuerunt inventi, qui cantum symphonicum in publicis coetibus planè prohibuerunt. Ipsorum rationes sunt sequentes: 1. Quia is non ad animorum, sed aurium delectationem comparatus est. 2. Quia veteres probabant ejusmodi vocis sonum, qui magis pronuncianti, quam canenti, vicinus esset. Resp. has rationes esse nullas. 1. Nam si cantus in Ecclesiâ probatur, etiam artificialis inveniat locum. Ars enim perficit naturam. 2. Distingvendum erit inter usum & abusum. Verus Musicæ usus non est oblectare aures, sed, ut ex præcedentibus patet, longè alius. Quòd autem nonnulli Musicâ abutantur, nos non probamus. Abusus certè est, quando, qui canunt, potius intenti sunt ad modum canendi, quam ad pronunciationem; idque inde, vel quòd modulos

dulos Musicos non rectè calleant, vel plures *Caudatas*, ut lo-
quuntur, *Notas* adhibeant. Iccircò ne vitiosè videantur ca-
nere, pronunciationem planè intermittunt. Et hoc ipsum in
nostris Ecclesiis fieri minimè debet, cum ibi pronunciatio non
adhibeatur propter cantum, sed hic ipse propter pronunciatio-
nem; adeoq; non pronunciatio cantui, sed cantus pronunciatio-
ni inserviat.

40. Pari jure legitimum Organorum & Instrumento-
rum usum probamus. Nam & illa miris modis ad attentionem
inflammant animos illorum, qui sciunt, quòd omnes spiritus
laudat Dominum, quodq; nos Deum cum Davide in organis
& cymbalis, benè sonantibus, rectè laudemus.

41. Accidens positivum sequitur privativum, quod est
Jejunium. Nam hoc ipsum quòd publicis, quòd privatis preci-
bus jure adnectitur, modò absit superstitio ac opinio merito-
rum. Definimus, quòd sit *spontanea à quovis cibo abstinentia,*
cum humilitate animi, quæ divinam clementiam ambit.

42. Duo requisita habet: I. Sit conjunctum cum spiritu-
ali jejunio, quod est per fidem in Christum abstinentia ab o-
mni cibo ac fermento malitiæ. Nam si hoc abfuerit, corpo-
ris jejunium Deus non accipit. Vide *Jerem. 14. v. 2.* II. Ut fiat
sine superstitione meritorii operis, atque observatione certii
temporis, vel discrimine ciborum.

43. Jejunium dividimus in *Publicum & Privatum*. Illud
fit autoritate illius, qui præest Reipublicæ, ac, urgente neces-
sitate, in publico loco ab universâ Ecclesiâ celebratur; hoc verò
quolibet, vel ob publicam, vel ob privatam necessitatem, agno-
scens peccata, tentationes Satanæ sentiens, vel à Dei aliquid
impetrare cupiens, privatâ libertate suscipit. Illius exempla
videre licet in veteri Ecclesiâ *Jona 3. v. 6. Jud. 20. v. 26. Jerem. 36. v. 6.*
in N. Testamento Act. 13. v. 2. & 14. v. 22.; hujus verò *2. Samuelis 12.*
Psalmo 35. Danielis 9. Mar. 2. Luc. 2. atq; Act. 10.

44. Invocatio cum obligatione conjuncta est vel *Votum,*
vel *Juramentum*. *Votū est promissio sancta ac religiosa, Deo ab ho-*
mine, fide justificato, consultò & sponte facta ad aliquid vel facien-
dum,

dum, vel omittendum, quod Deo gratum acceptumq; esse constat, idque in gloriam Dei & utilitatem proximi.

45. Dividitur in *generale & speciale*. Illud quilibet Christianus vovet in Baptismo, ubi Satanæ ejusdemque operibus renunciat, atque Deo se totum consecrat; hoc verò à nonnullis singulari quâdam de causâ sponte suscipitur, ita quidem ut semper in communi voto includatur. Illud ad omnes, fœderatos, hoc verò tantùm pertinet ad illos, qui rationis & iudicii usum sunt assecuti, & sui juris sunt.

46. Subdividitur in *licitum & illicitum*. Illud fit à personâ licitâ, de rebus licitis & bono fine; contra illicitum à personis illicitis suscipitur, de rebus illicitis & malo fine.

47. Generalis voti materia est res tantùm præcepta; adeoque cultus est per se; specialis verò est res arbitraria, sive media; ideoque non nisi per accidens cultus Dei appellari poterit, scilicet quatenus ad id, quod cultus Dei per se est, aliquo modo refertur. Nam actiones, ad cultum Dei pertinentes, sunt duorum generum. Aliæ enim considerantur, ut ipse finis, qui reverà est cultus Dei, aliæ, ut mediâ ad finem istum commodiùs assequendum. Prioris generis nullæ omninò actiones ab hominibus sunt excogitandæ, multò minùs instituendæ, aut voto sancientiendæ sunt, cum hæc cura ad Deum solum pertineat; posterioris generis actiones rursus sunt duplices. Nam aliæ ad finem sunt necessariæ, aliæ contingentes. De illis idem, quod de prioribus est statuendum. De mediis Deus iudicium permisit Ecclesiæ ejusdemque membris, & quidem cuique pro mensurâ doni & vocationis suæ modulo.

48. Objectum, cui aliquid vovetur, est solus Deus. *Psalmo 56.* Ergò hîc damnandi sunt I. Ethnici, qui idolis, ventis ac dæmonibus vovent. II. Qui scelera vovent. *Act. 23. v. 12.* Ibi Judæi se devovent, dicentes, *neque cibum, neque potum sumturos, donec occiderent Paulum;* hic verò mater Michæ non & mille & centum argenteos idolis. III. Pontificii, qui multis modis peccant. Nam 1. votum indebitum opinantur esse quendam cultum. 2. Pugnancia cum Dei voluntate vovent.

vent. 3. Volunt vitam monasticam esse Evangelicam perfectionem, mereri vitam æternam, atque esse supererogationis opus. 4. Factum cum voto magis meritorium esse, quàm sine voto. 5. Voto matrimonium solvi. 6. Vota omnia sine exceptione, servanda esse. 7. Carthusiani, qui perpetuam à carnibus abstinentiam vovent. 8. Illi omnes, qui omnia Christianorum vota unius Romani Episcopi arbitrio & potestati subjiciunt.

49. Tandem de juramento dicendum erit, quod est *invocatio Dei, quâ petimus, ut sit nostri sermonis testis & puniat fallentes.* Partes ejus sunt *Invocatio & Imprecatio.* Finis est, ut Deo debitus præstetur honor, ut veritas confirmetur, & denique ut innocentes, calumniis circumventi, liberentur.

50. Juramentum quoque distinguitur in *Impositum & Susceptum.* Illud imponitur à magistratu, cui obedientia debetur. Hic cavendum sedulo est, nec peccetur. Nam multis modis peccari potest. 1. Quando juramentum imponitur nullius fidei hominibus. 2. Quando in re levisimâ judex vel suâ sponte, vel ab auctore impulsus juramentum imponitur, cum tamen etiam ex aliis rationibus veritas cognosci possit. 3. Quando juramentum imponitur in re, quæ fieri non potest, non ut juramentum, sed tantum consuetudo servetur. Ita votum castitatis sub juramento exigunt in Papatu Episcopi.

51. Susceptum fit, ut vel nostram, vel aliorum vitam famamque tueamur. Etiam hic enormiter peccatur tum in quotidiana vitâ, tum in judiciis. In communi vitâ delinquitur duobus modis: 1. Quando juratur temerè, sine causâ, etiam si non falsò juretur. 2. Quando non solùm leviter, sed etiam falsò juratur.

52. In judiciis peccatur: 1. Quando ob modicam pecuniam juratur. 2. Quando quis sciens falsò jurat. Contingit hoc, quando quis asserit esse verum, quod scit esse falsum, vel quando quis affirmat, esse falsum, quod scit esse verum. 3. Quando jurans promittit, quod nunquam præstare vult: adeoque id tantum agit, ut se negotio, quo tenetur, pejerando eximat. 4. Quando quis id, quod jurat, non præstat. 5. Quando jurat in re illi-

re illicita : quod sine offensâ Dei fieri non potest. 6. Quando in juramento nomen DEI cum sanctorum nominibus conjungitur.

53. Porro dividitur juramentum in *licitum* & *illicitum*. Illud fit, quando in causâ gloriæ nominis Dei & utilitatis proximi per Deum juratur; hoc fit, vel ex personâ ejus, qui jurat, vel in re, si res, in quâ juratur, sit illicita, vel in causâ, vel in modo.

54. Rumpi autem potest 1. quando est illicitum, sic ut & jurando & servando peccetur. 2. Quando juramentum est vinculum iniquitatis. 3. Quando gratiâ juramenti peccatur, contra dilectionem proximi & immunitatis leges. 4. Quando jurant illi, qui sunt in alterius potestate. 5. Quando res, de quâ juratur, fieri non potest.

55. Hinc quærimus I. *an usus juramenti sit Christianis licitus?* Resp. affirmando. 1. Quia juramentum est pars divini cultûs. *Deut. 6. v. 13.* 2. Quia proximo servit, contentiones tollit, pacem restituit, & veritatem confirmat. 3. Quia verum juramentum à Deo *Deut. 6. v. 10. & Exod. 22. v. 8.* præcipitur. 4. Quia Abrahamus, Isaacus, Jacob & David, sanctissimi Patres, jurârunt. 5. Quia Chiistus ipse & Apostoli jurârunt.

56. II. *Num aliquis, ut vitam redimat, bonâ conscientia, jurare possit latroni, se certam pecuniâ summam ad ipsum allaturum & taciturnum?* Affirmamus. 1. Quia, secundum Jctos, de omnibus rebus juramêta interponi possunt. 2. Quia res, de quâ jurandû est, gravis esse debet. Sed nulla res majoris momenti est, quàm suam redimere vitam. 3. Quia si Christiana charitas requirit, à morte liberare, quocunqve id fieri potest modo, proximum, certè, quilibet sibi ipsi hoc præstare debet. Nam charitas incipit à semetipsâ. 4. Quia si quis hoc modo vitâ suam redimere posset, id verò non faceret, peccaret contra Deum, rem publicam & suam familiam. Contra Deum; quia pecuniam præferret, daretqve occasionem peccati longè majoris perpetrandi. Nam majus est peccatum, aliquem spoliare vitâ, quàm pecuniâ. Contra rem publ. quòd eam privaret cive. Contra familiam, quæ marito, patre & Domino spoliaretur.

57. Quia

57. Qvi negativam defendunt, hæc urgent: I. Quia contra bonos mores non est jurandum. R. Negando, quod sit contra bonos mores. Nam si contra bonos mores non est, se ex periculo mortis eripere; utique contra bonos mores non erit, jurare, si aliter fieri non possit, & juramentum præstare. II. Quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis. Resp. iterum negando. Nam æquitas ex parte captivi major est, quam iniquitas ex parte latronis. III. Quia tale juramentum servari nec debet; ideoque sine metu perjurii præstari non potest. Ergo qui latroni jurat, gravissimè peccat, cum nomine Jehovah pessimè abutatur. Resp. hoc argumentum falsâ hypothesi niti. Nam juramentum, latroni præstitum, omnino servandum est.

58. III. Num juramentum, latroni præstitum, sit servandum? In tali casu duo promittuntur latroni, scilicet pecunia & silentium. De utroque ambigüe disputant J. C. I. Nos verò constanter affirmamus, juramentum omnino servandum esse. Habemus enim generale Dei præceptum, quo vetamur usurpare nomen Domini temerè & frustra. In specie *Psal. 15. v. 4.* inter cæteras notas, quæ ex præscripto & mente legis divinæ assignantur pio viro, hæc non est ultima, ut sit is, qui licet juraverit in damnum suum, non tamen mutet. De silentio major videtur esse difficultas. Nos, salvo aliorum judicio, cum *Dn. D. Martini* statuimus, tacendum esse juranti quoad speciem, non quoad genus, hoc est, damnum, quod ipse, ut privatus à latronibus passus est, vi præstiti juramenti, non esse revelandum; interim teneri jurantem, monere Magistratum in genere, ut vigilet, inque id incumbat, ut provincia à latronibus purgetur.

57. IV. An Pietas sit μελότης? Affirmamus. Habet enim duo extrema, scilicet in excessu *Superstitiositatem* atque in defectu *Impietatem*. Illa est vitium, quo homo non contentus cultu, à Deo præscripto, alios Deum colendi sibi fingit modos; hoc vero est vitium, quo homo à cultu, Deo præstando, est planè alienus. Tantum de Pietate atque iis, quæ eidem annexa sunt.

Ad

Ad
Humanissimum Dn. Respondentem,

Studiosum diligentem pariter ac pium.

WELLERUS noster, veræ pietatis alumnus,
Conscendit cathedræ pulpita trita meæ.
Hic SVEVI ductu nostras migravit ad ædes,
Qvi modò LINDAVIAM, non sine laude, docet,
Res benè succedet; qvia non conamine parvo
Est animus Musas continuare suas.
Expectet magnum clarissima Patria civem,
Qvi poterit cives ritè docere suos.

PRÆSES.

Ad Præstantissimum

Dn. Conuictorem suum suavissimum.

Præside WENDLERO quam de Pietate tueris
Pagina, Te doctum comprobat atqve pium.
Nobilis ostendit se Verno fidere gemma,
Nectarea Auctumui tempora vina dabunt.

fer.

M. CHRISTIANUS Röhrensee /

GEORGIUS WELLERUS,

κατ' ἀνάγκη

ORE VEL USU ? GRUS LEGI.

Non est, ô Theseu! Num sis magis ORE VEL USU
In pietate calens, ut dubitare queam.

Ore piè loqueris, pietatem more tueris,

Insignis victor nomen & omen amas.

Mox eris altisonans GRUS clangens dogmata LEGI

De cathedrâ Patriæ consona. Fata duint!

Suo Contubernali & Amico Amiciss. app.

Joh. Christophorus Schweigger/
Onold, Francus

05 A 2291


ULB Halle 3
003 783 537



VD17

Oh





21

L. D. B. V.
Ex
Morali Philosophiâ
DE

PIETATE

atq; iis omnibus, quæ eidem annexa sunt,
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Admodum Reverendi, Amplissimi atq; Excellentissimi.

DN. MICHAELIS VVENDELER

S.S. Theol. Doct. ejusdemque Professoris Publici
Extraordinarii, & Philosophiæ Practicæ Or-
dinarii celeberrimi.

*DN. Patroni, Præceptoris ac Hospitis sui
summè venerandi,
publicè disputabit*

GEORGIUS VVELLERUS

Lindaviensis Acronianus,
*Addiem XXIX. Aprilis, horis matutinis
in Auditorio Majori.*

VVITTEBERGÆ,
Typis Johannis Haken, Anno M. DC. LXIII.

L. A. Balou.

